



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VIII. Caluinistae Saxonia eijciuntur. Aquisgrani religio mutatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

tur. Tandem vero Imperatoris interuentu Vinarieſis, omiſſo bello, Adminiſtrator Electoratus & pupillitutor electus fuit, tamquam ſenior & proximus eius agnatus: qui ſtatim Academijs Vitebergensem & Lipſienſem denuo reformauit, & eieciſtis Caluinianis Doctōribus & Miniſtris, Lutheranam religionem reſtituit, vſus ad hoc Egidij Hunnij, magni nominis inter ſuos Theologi, è Marpurgenſi Academia à Ludouico Haſſiæ Landgrauio, cum in ſinem ſibi miſſi, opera: qui miſeram plebem ad Lutheri Catechiſmum remiſit, vnà cum Polycarpo Teiſero & Georgio Mullero, Auguſtano quondam concionatore. De tribus hiſ Doctōribus ſtudioſi per ludibrium diſerium hoc iactabant. *Polycarpus pulcherrimus* (erat enim egregia corporiſtatura ac forma) *Mullerus grauiſſimus* (vt qui tam in verbis & in ceſſu ſingulari quendam grauitatem præ ſe ferret) *Hunnij doctiſſimus*: quod hic quamuis exiguæ ſtaturæ & ſubfulci coloris homo, quoad externam ſpeciem, ceteris contemptior videretur, ingenij tamen acrimonia & eruditione duos illos longe ſuperaret. Quia vero merus erat, ne tritium horum Doctōrum æmulatio in Academia turbas excitaret, Mullerus Vinarieſis Ducis iuſſu ad Academiam Ieneniſem conceſſit, Profeſſoris ibi ſuſcepto munere, duo vero illi Vitebergeniſi Academia operam ſuam diu vnà nauarunt.

VIII. Eo quidem tempore plerique omnes alij cuius notæ homines, qui Caluinisticam aperte profitebantur religionem, in magno erant vitæ diſcrimine, vt contra quos vulgus per totam ſere Saxoniam inſurrexerat, in priuſiſ Lipsiæ, quæ poſuloſum admodum & præcipuum ijs in locis eſt emporium; adeo vt domus nonnullæ oppugnatae, & effractis ianuis direpta fuerint, eorum vero domini, vt & alij Caluinismo infames, a greſſu multuantis plebis manus euaserint, & in Palatinatum ſe receperint, quod ſciunt, religionem ſuam nullibi in tota Germania quam in Palatinatu tolerari: quamuis paucis abhinc annis eadem in alias quasdam regionulas, quæ ſcilicet Principum Anhaltinorum, Comitum Hanouiz, Wedæ, Iſemburgi, Fuſtenburgi, & paucorum aliorum ſubſunt imperio, irrepſerit. Et quamuis varia ac multiplex ſit Lutheranæ religio, ſola tamen in Germania illam habet prærogatiuam, ob multas retro Imperij paciſiones in ſitas cum Catho-

licis, quæ nunquam fermento Lutheri inquinata ſunt, aut ſeſe deprehenſo veneno medicamenti expurgarunt. Inter quas eſt etiam Ciuitas Aquisgranenſis, Thronus Imperij, vt vbi que toleretur, exceptis Catholicorum quorundam Principum ditionibus ac ciuitatibus Imperialibus, quæ ſupremum ius imperandi habent, in quam Anno 1524. Albertus Munſterus Terræ filius, Lutheri vt profitebatur diſcipulus aduenit, docens, Catholicam Eccleſiam procul à veritate deſſeſſiſſe, & errare in multis. 2. B. V. non eſſe meliorem alijs ſæminis. 3. SS. locutionem & cultum nullius eſſe vtilitatis. 4. vanum eſſe fructum Sacrificij Miſſæ. 5. Reliquias à Carolo M. iſtuc inductas, non eſſe pluriſ, quam centonem mendicabili. 6. pecunias melius impendi in Lupanaria, quam peregrinationes ad loca ſancta. 7. per indulgentias non plus lucrificare in Eccleſia, quam in porcili. Imo porcilia abundare remiſſionibus. Ob has blaſphemias breui comprehenſus à Magiſtrato, dum in vinculis teneretur, aliunde Traiecto de homicidio ſub circumforanei ſpecie, & VVeſalia ob aliud homicidium carceremque perfractum accuſatus, pœnas ſupplicio dedit, ex quo Senatus illius Reip. intellexit quales Apoſtolos Lutherus in orbem emitteret. Imperita eſt nihilominus aſſidue & vaſerime ea ciuitas ab hæreſibus, quaſi ea capta, Thronus Imperij Romani ac B. V. Mariæ in ſeruitutem eſſet addiſtus, donec Magiſtratum Catholicum abrogantes rebelles Sectarij ſeſe ingeſſerunt & Caſar cognita cauſa Catholicorum & proteſtantium, hos nullis mandatis parere volentes proſcripſit Anno 1598 30. Iunij & militari manu Archiepiſcopi Coloniensis Treuirenſisque, nec non Ducis Iuliz, & Alberti Archiducis, Brabantiz Ducis proſcripti Magiſtratus perſonas & bona capienda decreuit, quod ſequenti Auguſto euenit, reſtituto in locum ſuum Catholico Magiſtrato ad 1. Diem Septembris (e) qui vrgente Pontifice Romam demum Patres Societatis Ieſu aduocauit ad opem ferendam Catholicæ rei, quod illi Anno 1600. autumnu ingreſſi grauitè præſtare cœperunt. Incredible eſt quantis Acatholicis molitionibus illos eo loco deturbare ſint, famoſis libellis, interceſſionibus Ordinum fœderatorum Belgij, criminationibus & omnibus

• *Historia Aquisgran. & Aſſa publica.*

omnibus inferorum artibus. Illi tamen locum suum non deferuerunt, sed pedem pedi opponentes exitum hæresi, quod sibi moliri non desistit, odies machinatur (d). Hæc de ea vrbe dicenda duxi, vt intelligatur Catholicos in Germania tota, non accipere ab Hæreticis Leges, vt quidam exteri opinantur, sed ipsos quoque in certis territorijs sceptum, imo supremam Maiestatem obtinere. Ex quo summa eiusmodi hominum patet imprudentia, qui dum Ecclesijs suis pacem & libertatem quærunt, bellum sibi, turbas & confusionem pepererunt. Miseri homines! qui continuo velut in armis sunt, iam alios eijciunt, iam ipsi eijciuntur, iam hoc, iam illud credunt, prout feliciter domino ipsorum visum fuerit, aut nouitius aliquis apostolus nouam ipsis fidem annunciarit. Bis, inquam, miser! qui in eo quod maxime firmum ac stabile esse debet, nullam stabilitatem habent. Interim vero qui veterem Lutheri religionem sequantur (neque enim ille nouos Lutheranos, neque Confessionistas, neque Interimistas vidit) non doctrina tantum, verum etiam ceremonijs immane quantum discrepant! de quibus sequenti capite dicemus.

DE FORMA RELIGIONIS AC Ceremonijs, quibus Lutherani in Germania passim vtuntur.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

- I. *Transitus ad diuersas Lutheranorum ceremonias, à Magistratibus, vt Pontificibus inductas.*
- II. *Lutherus complures Catholica Ecclesia ceremonias retinuit intactas.*
- III. *Lutheranorum Mollium, siue Interimistarum templa eandem fore speciem & apparatus habent, quem Catholicorum, vnde subtilius saluunt.*
- IV. *Apud Lutheranos Episcoporum & sacerdotum nomina mutata.*

- V. *Interimista quibus ritibus Missam celebrant, quos omittant male.*
- VI. *Lutheranorum quidam sacra hostia eleuationem admittere viderunt.*
- VII. *Eodem vere vestitu & ornatu Missam celebrant, Interimista quo Catholici.*
- VIII. *Quomodo Cœnam distribuunt.*
- IX. *Forma Missæ ab Augustana Confessione addita celebratur.*
- X. *Modus Communicandi & Confitendi apud eosdem.*
- XI. *Elegans ceremonia in oppido quodam Marchionatus Brandenburgici præsentis Galliarum regis Legato, usurpata.*
- XII. *Lutherani quot dies festos, veteres Baptismi & Matrimonij ceremonias obseruant, & à cibis prohibitis abstineant.*
- XIII. *De communi templorum vbi Lutherani rerum potiuntur vsu.*
- XIV. *Lutherani Ministri, quos Prædicantem & Helffer appellant, vestitu à laicis diuerso vtuntur, & profanum Calvinistarum habitum damnant.*

I. **E**Go si hæresin omnibus suis cum lineamentis & coloribus depingere, omnesque furias, quibus illa inter tam varios opinionum fluctus agitata, & in diuersas partes distracta fuit, representare velim, Deus bone, quam inextricabilem Labyrinthum sim ingressurus! Equidem centum mille speluncarum, tamque difformes inter se formas, quam nubium in aëre volitant, exprimendas mihi videam, si hoc labore defungi velim. Vnde enim, quæso, initium faciam, tam diuersarum sectarum, quæ in Morauia, Transyluania, Valachia, Polonia & Belgio imo Germania ipsa, hæresum matrice vermiculantur, & quæ II. libro à nobis partim (omnes enim impossibile est) indicatæ ac descriptæ sunt, synagogas repræsentaturus? Quare satis mihi erit, earum omnium matrem hoc loco velut in tabula depictam exhibere, atque inspicendam proponere eam, inquam, quæ Lutheranæ dicitur: qua quidem appellatione tantum abest vt illi hæctenus offendantur (vt Calvinistæ in Francia & alibi, Calvinistæ audire nolunt) vt etiam ea glorientur imo dolose

H 2

passim

à Anna Soc. Iesu Anno 1600.